



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

10. Somnus frater mortis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

IX. (i) De Somno facili, Siracides c. 31. *Somnus sanitatis in homine parco. Dormiet usque manè, & anima illius delectabitur.* Nimirum sobrietas & temperantia breves ac jucundas faciunt dormientibus noctes. *Saturitas autem divitis non sinit eum dormire.* Ibid. Distentus enim dapibus & indigesto oneratus cibo venter, amaras cogitur vigilare noctes. Hinc præceptum est Scholæ Medicorum Salernitanæ.

Ex longâ cœnâ stomacho fit maxima pœna:
Ut sis nocte levis, sit tibi cœna brevis.

Et Horatius.

----- corpus onustum

Hesternis vitiis, animum quoque prægravat unâ,
Atque affigit humo divinæ particulam auræ.

Ad somni jucunditatem facit etiam labor & exercitium: nam
---- fessos facilis sopor irrigat artus.

Ecclesiastes c. 5. *Dulcis est somnus operanti.* Sed hîc cavenda nimia indulgentia. Monet Salomon Proverb. 19. *Pigredo immittit soporem: & anima dissoluta esuriet.* Nimiô somnô membra languescunt & enervantur. Deinde prolixior sopor non tantum corpus, sed etiam ingenium, mentemque hebetat, & corrumpit. Mantuanus canit:

----- pigros rubigine sensus

Otia corrumpunt, sopitâque pectora torpor.

Addit Salomon loc. cit. *Et anima dissoluta esuriet.* Nam pigritia parit soporem, sopor otium & inertiam, inertia penuriam & famem.

X. (k) Fingitur Somnus *Erebo* (inferno fluvio & *Nocte* matre genitus, cuius frater sit *Lethum* seu *Mors*: Sorores *Lethe*, ac *Spes*. Apud Ælianum lib. 2. hist. c. 35. refert Pausanias, Olympiæ, urbe Theſſaliæ, visam à se statuam, Noctem, figura, habitûque muliebri: hæc puerum album dormientem dextra tenebat, læva nigrum dormienti similem. Horum priorem appellari *Somnum*, alterum *Lethum*, utrumque *Noctis* esse filium. Homerus Iliad. ζ.

Ενθ' ἵπνω ζύμβλητο κασιγνήτω θανάτῳ.

Occurrit somno, qui Mortis frater habetur. Et Maro lib. 6.

Tum consanguineus Lethi sopor.

Et Seneca:

Frater duræ languide fortis.

Accinit Ovidius:

Stulte, quid est Somnus. gelidæ nisi mortis imago?

Unde

(i) Somni ratio. (k) Somnus frater mortis.

Unde Gorgias Leontinus Sophista, jam annis gravis admodum, cum ægrotus somno altiore urgeretur, fortè è familiaribus quidam accessit, qui interrogaret, quomodo se haberet, respondit: *Iam somnus incipit suo me fratri tradere.* Ut hinc colligas, *multum dormire, esse multum mori.* Quare rectè Philosophus rogatus, quantum docti differrent ab indoctis, reddidit: *quantum vivi à mortuis.* id quod superiore Num. indicavimus. Soror Somni est *Lethe*, quæ *oblivionem* significat: quia per somnum, qui dimidium ætatis nostræ carpit, sicut bruta jacemus, omnium sensuum, & animæ facultatum nobiliorum officio destituti, unde plurimarum rerum ignorantia inducitur, apud illos præsertim, qui cum gliribus non tota modo hieme, sed etiam ætate dormiunt. Neque sine causa *Spes* inter sorores Somni censentur, quandoquidem sæpius instar somniorum evanescent.

SYMBOLVM LXII.

Charybdis & Scylla, Monstra marina voracia.

Homerus Odysf. 12. Virgil. 3. Æneid. Ovidius 7. Metam.

Ethicè.

1. Virtus inter duo extrema navigat. 2. Scopuli vitæ humanæ, Ira & Libido. 3. Mala voluptas. 4. Charybdis & Scylla, Luxuria & Gula. Item Prodigalitas. 5. Scylla Symbolum animæ corpori conjunctæ. 6. È Charybdi in Scyllam, quid.

DE Scylla & Charybdi nec Historici satis consentiunt, nec Poëtæ. Nos vulgatiore seligemus, ad mores potiùs formandos, quàm ad geographicas varietates discernendas intenti. Ad historiam quod attinet.

Scylla & Charybdis, duo sunt loca in freto siculo, valde periculosa, & naufragiis infamia; quorum alter Italiæ, alter adjacet Siciliæ. *Charybdis* gurgis est vorticosus, juxta littus Taurominitanum, Scyllæ oppositus, contrariis fluctuum occurribus in miram altitudinem assurgens, stansque temporum vicibus obvia quæque absorbens, atque iterum evomens. *Scylla* verò promontorium seu scopulus est juxta Rhegium, urbem Siciliæ, è regione Charybdis, quæ naves ingenti vi in saxa scyllæa impellit, & al-